

Paulus Episcopus, Servus Servorum Dei,

dilecto Filio **Francisco Xaverio Hsu Chen-ping** electo Episcopo titulo Horrensi eisdemque renuntiato Auxiliari sacri Praesulis Sciamchiensis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum venerabilis Frater Laurentius Dianchi, sacrorum diocesis Sciamchiensis Antistes, sedis nempe incolis frequentissimae, ab Apostolica Sede petierit ut, ad aptius catholicis fidelibus subveniendum latiusque inter caeteros Christi Evangelium proferendum, Auxiliaris Episcopus sibi concederetur, censuit Sacra Congregatio Christianae Fidei Propagandae praeposita, post auditum venerabilem Fratrem Josephum Caprio, Archiepiscopum titulo Apolloniensem et in Sinis Praenuntium Apostolicum, bene te posse, dilecte Fili, munus illud accipere et summa cum animorum utilitate exsequi. Quae enim egregiae in te insunt sive animi sive ingenii virtutes spem maximam alunt ex tua pastoralis opera et procuratione uberrimos provenire posse fructus. Quam ob rem, apostolica et suprema nostra potestate te nominamus Auxiliarem venerabilis Fratris, quem diximus, simulque Episcopum titulo **Horrensem**, Sedis ad praesens vacantis, datis iuribus obligationibusque impositis, quae munus tuum atque dignitatem ex iure canonico profluunt. Maiori autem commodo tuo consulentes, permittimus ut consecrationem etiam extra urbem Romanam accipias a quolibet Episcopo, cui duo alii assint, ad normam legum liturgicarum, sintque omnes Nobiscum et cum Apostolica Sede sinceris fidei vinculis coniuncti. Quod antequam fiat, tuum erit ritualement catholicam fidei professionem facere et utrumque ius iurandum iurare, fidelitatis erga Nos et Successores Nostros atque contra modernistarum errores, teste aliquo Episcopo, et ipso Romanam hanc Sedem sincere colente. Adhibitis autem formulis, de more signatis sigilloque impressas, ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide quam primum mittes. Fortamur denique, dilecte Fili, ut ampliore abhinc dignitate indutus, maiora etiam ita opereris, ut sive dignissimo Episcopo tuo feliciter assistas sive eiusdem curis commisso populo pro tua parte quam maxime prosis. Datum Romae, apud S. Petrum, die duodecimo mensis iunii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri quarto. = &C =

pro S. R. E. Cancellario

M. J. Card. Cicognani
a publicis Ecclesiae negotiis

Franciscus Cennello, Regens

Joannes Calleri, Prot. Ap. a. i.
Gaspar Santagalli, Prot. Ap. a. i.

1967年6月12日教宗保祿六世委任徐誠斌為香港教區輔理主教，領銜奧理亞區主教。